

187
191

SUO IN VITA
AUDITORI DILECTISSIMO,
Insignis spei ac probitatis Adolescenti,
**JO. FRIDERICO
HAUENSTEINIO,**

Parentis optimi,
(Tit.) *DOMINI*
**JO. FRIDERICI
HAUENSTEINII,**

Spectab. Judicii V. C. apud Thorunenses
Assessoris longe dignissimi,

Filio unico,

Ipso exequiarum die XXI. Aug. MDCCC. IX,

vitz multa cum laude transactæ
publicum testimonium

L. M. Q.

dabant,

luctuque vehementi afflictos Parentes

solari conabantur

RECTOR, PROFESS. & VISITAT.
Gymn. Thor.

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS.
TYPOGRAPHUS.



ATIV NI OUS
Ngenii vires, verae pietatis & artis
Ingenuae, ac recti, dulcior omnis amor,
Sedulitate animus constans, tuitusque decorum
Exactique anni moribus innocuis.
Haec sunt, quae decorant iuvenes pubemque dicatam
Musis, haec multi nuncia laeta boni.
Quo pacto quisquis doctos urgere labores
Coepit, inoffensa pergere mente potest.

His, quem jam Schola quemque Parens deplorat ademtum,
Emicuit felix omnibus usque bonis.

Proh dolor! emicuit longis dignissimus annis.

Summa hoc votorum tum probitasque dabat.

Scilicet is vanas spernebat corde fideli

Illecebras mundi, jam meliora videns.

Transversum specie fallens non ulla voluptas

In mala distraxit. Sustulit auspiciis

Se laetis, Veluti succrescens excitat omnes

Accumulati spe foenoris apta seges.

Haec est pro curis immensis proque labore

Doctoris merces gratior, usque suos

Solicitos & doctrinae spectare tenaces,

Ac promittentes commoda multa suis.

Sponte sua virtus Te sic, defuncte, levabat,

Nec justum stimulis mollibus officium

Urgebat. Sed quam fragili sunt omnia filo

Pendula! Spes Patris nostra simul cecidit!

Fallimur. Haud cecidit. Mentiri nescia surgit.

Flectere nam Nostrum dum mala nulla queunt.

Ventosas artes mundi mancasque Sophorum

Ridet doctrinas. Coelica mente capit

Dogmata. Circuitu quae non traduntur amaro,

Mens placide aeternum pervidet ipsa bonum.

Morsibus haud corpus febris depascitur acris.

Undique perfecto nulla ruina nocet.

Moeste Parens, sunt ex luctu solatia luctus:

Filius obtinuit, quae tua cura fuit.

Cura fuit, felix ut multos duceret annos

Post te. Praecessit. Proinde levamen habes.

*In memoriam pii & industrii Auditoris sui tum
& alicujus solatii moestissimis Parentibus
afferendi causa haec*

ser.

M. P. JAENICHIUS, Rect.



Trucem sortem minimeque faustam!
Quæ Scholam nostram graviter fatigat,
Et premit, mentes animosque figit
Cuspide tristi.

Dum precabamur, numero frequenti
Gymnadem nostram DEUS ut repleret;
Annuit nostris precibus benigne
Diva potestas.

Misit in nostrum Juvenes Lyceum,
Qui volunt Musis variis studere;
Sint modo vera pietate cincti &
sedulitate!

Nil juvat multas numerare conchas,
Ex quibus nunquam revirescit arbor,
Unicum granum piperis pusillum
præstat honore,

Quam superfusus palearum acervus.
Terra non curat numerum peramplum
Plebis, ast fructus tribuit vel uni
largiter amplos.

Sol suæ lucis negat haut calorem,
Sive sint pauci, nimium vel aucti.
Ad modum hunc unus studiis politus
atque coruscus

Luce, præ multis aliis amatur
Qui potest multis Statibus præesse,
Urbibus par est dare jura, leges,
sancta statuta.

Ex grege hoc quondam *Juvenis* fuisse,
Cui parentamus subito dolore
Perciti, mœstos trahimusque versus
corde profundo,

Ille facundæ studuisse linguæ
Visus est, doctas coluit paratus
Literas, nomen dederatque divæ
rite Poësi.

Quid magis? tetros renuit sodales,
Quos fatigavit pietate sancta.
Nullus en! nostrum *Juvenem*prehendit,
crimine læsum.

Obsequens vixit monitis Parentum,
Obsequens nostris fuerat sacratis
Legibus, prompte veneratus alti

Verba Jehovæ

Hunc

Hunc piis deflent lacrymis Parentes
Filiū, nostrum querimurque damnū,
Quod pius, doctus *Juvenis* reliquit
pulpita nostra.
Candidato sit decus æviternum.
Sint inexhaustæ totidem salutes:
Quot coloni nunc refecant aristas
rure patenti.
Erigat mœstos pia vox Parentes
Corde confuso nimioque luctu
Filii mortem subitam gementes
semper amandi!

m. f.
M. MARTINUS Böhmi

BX quo sperantur certissima gaudia, sæpe
Materies luctūs id solet esse gravis:
Sique quid interdum corda exhilarare videtur,
Lætitiæ speciem per breve tempus habet.
Nam veluti clarum comitantur nubila Phœbum,
Sic & habent comitem gaudia tristitiam.
Credere si dubitas, ecce HAUENSTEINIUS extat
Egregius, solers atque pius *Juvenis*.
Qui tribus ex Natis reliquus, spes una Parentum,
Gaudia promisit, vix tamen illa dedit;
Quin potius morbo correptus gaudia vertit
Largas in Lacrumas luctificosque sonos.
Mœsti flentque dolentque Parentes Filium, at Ille
Gaudia cum Fratrum carpit in æthre pari,
Atque Sorore unâ, simili quæ mortua morbo
Ulnis in Matris dicitur esse pie?
Quare ne nimirum tristentur corda Parentum,
Quòd gaudere sciunt Filium in arce Dei.
Sit solamen Eis omni solamine majus,
Quod sua reddiderint Pignora cuncta DEO.
Qui quodvis Dominus ceu justus tempore justo
Depositum repetit, quod fuit ante suum.
O ter felices homines! qui in mortis agone
Depositum talis nomen & omen habent.

*Tantum
in memoriam pie defuncti
l. p.*

M. MARTINUS BERTLEFFIUS, P.P.

43612